

## De linguae latinae flexivis terminationibus

Roberto BUSA SI

Praemitto vocem "desinentia-ae" abesse sive a documentis latinatis classicae, sive ab iis quae in Indice Thomistico necnon in Johannis Balbi Catholico recensentur. Aderat quidem ut nom. n. plu. participii "desinens-entis". Quare quae hodie vocantur "désinences, endings, Endungen", ipse vocabo terminationes, siglo T brevias.

Viginti abhinc annis socius meus ex Germania Herbert Gerl SI fere 3000 terminationes linguae latinae collegerat electronice inscribendas, ut ad probandam nostram lemmatizationem inservirent. Fere equidem 150 000 formae vocum lemmatizandae erant, repraesentantes 10 600 000 voces occurrentes in 179 nostris medievalibus operibus.

Exinde exemplaria quaedam harum T studiosis viris ea postulantibus distributa atque ipse noster earundem usus bonos attulerunt fructus animadversionum, problematum necnon et defectuum.

Novissimo autem tempore prof. L. Delatte seriem T latinarum quas ipsius leodiense institutum LASLA interim independenter paraverat, amice mihi communicaverat.

Harum cum nostris comparatio perutilis evasit, quippe quae nostras accuratius perpolire permisit.

Has ergo in publicum edo, admirationis atque amicitiae documentum meae erga prof. Delatte qui tot per annos tantas instauravit et docuit informaticae philologiae bonas methodos.

His recentior opera electronica data est prius a Franco Mondini Romae operatore apud "Centro Scientifico IBM" ac tandem a "Centro di Calcolo Scientifico" mediolanensis Universitatis SS. Cordis Jesu curantibus dominabus V. Saporiti et R. Minoli.

## 1. De latinarum terminationum nostra recensione

### 1.1.

Vocula "omnes" si terminationibus adiiciatur, nonnisi approximativum ut dicunt valorem habere potest, terminum scilicet indicans desiderabilem ad quem acriter nobis contendendum quidem est, sed qui numquam una perfecta et definitiva ratione sit attingibilis. Hoc quidem non solum humanis defectibus sed et ipsi sermonis naturae tribuendum est, cuius systema non rigide clausum sed potius apertum sit et generativum.

### 1.2.

Mille latinae linguae annorum schema T recapitulativum acceperamus ex philologia germanica saeculi praeteriti, ex grammatica scil. Ferd. Schultz (Paderborn ed. 1862), prae reliquis, forte recentioribus aut magis scientificis, electa, eo quod essentialis ac veluti "telegraphica".

### 1.3.

Inde derivavimus omnes T regulares atque etiam omnes quae regulariter seu stabiliter irregulares praebebantur, ut illae v.g. sunt vocum "alterius, cuius, fac, fer".

### 1.4.

Singulas formulavimus T, licet omnino graphice identicas, ad significandum singulas flexiones, singulas personas, singulos casus, singula genera : v.g. in II declinatione 6 dantur T "-is" cum uterque, dativus et ablativus pluralis, multiplicetur per tria genera.

### 1.5.

Iuxta quae apparent in speciminibus, unaquaeque electronica logica unitas (*record, enregistrement*) continet :

- numerum characterum quibus construitur.
- ipsam T, ad dexterum latus ordinatam in verticali.
- ipsius morphologica descriptionem per codices, quorum significatio in paragrapho 4 infra praebebitur.

- eandem T "inversam", ita scil. ut ultima ipsius littera fiat prima, paenultima fiat secunda et sic de reliquis : his taliter ordinatis automatam, quod numquam retrogradiatur, disponere poterit voces ordine alphabetico inverso, qui scil. de dextera versus sinistram procedit.
- duas tandem enumerationes signantes locos quos tenet T in ordine tum morphologico tum alphabetico contrario.
- ac ultimo tesseram seu codicem seu siglum ipsius "typi flexivi" :
  - 1 = occurrens in declinatione regulari.
  - 2 = T forte non typica sed peculiaris seu specialis de qua infra. Applicitus est in III declinatione omnibus nom. et voc. sing. et acc. neutris gradus positivi, ut pariter infra declarabitur.
  - 3 = occurrens (etiam) in declinatione irregularium.
  - 4 = occurrens in coniugatione regularium absque casu, scilicet in flexione stricte verbali.
  - 5 = eadem ratione occurrens (etiam) in coniugatione irregularium.
  - 6 = occurrens in alterutra coniugatione cum casibus, scilicet ut participialis, seu verbalis et simul nominalis.

#### 1.6.

Formulavimus hac ratione 3924 individuas T, quae differunt aut sua sola graphia aut saltem uno ex suis sex codicibus morphologicis.

#### 1.7.

Hae prius quidem ordinatae sunt iuxta codices seu eo ordine morphologico quo in grammaticis declinationes et coniugationes prostant. Et ex his sunt nostra duo specimina excerpta. Eadem dein ordine alphabetico a contrario denuo ordinatae et suo numero signatae sunt. In his tandem, attenta sola graphia atque prorsus ignoratis tesseris morphologicis, solae T graphice differentes automaticae detectae sunt et seorsim duplicatae ut "terminationum formae" (Tf).

Sunt vero 860 seu 21,9 % omnium T : allis verbis, media numeri ratione, singulae Tf repraesentant fere 5 T unum saltem diversum habentes codicem.

#### 1.8.

Series harum Tf ut novissimum documentum integra hic reprodu-  
citur. In ea Tf prius iuxta numeros decrescentes suarum T  
atque intra eundem numerum alphabetice a contrario ordinantur.

In qualibet linea haec invenies :

- numerum litterarum quibus Tf construitur.
- ipsam Tf.
- numerum T individuarum quae eam verificant.
- quos typos flexivos (1-6) verificet, in qua declinatione (A-F) et coniugatione (J-N).

1.9.

Haec omnia confido utilia fore illis informaticis philologis qui ad automaticam vocum analysim velint vocum litteras retrogradiendo scandere.

Electronicam transcriptionem harum T et Tf quilibet gratis (scil. solvendo tantum transcribendi expensas) obtinere valebit a me aut a meis hic successoribus aut ab illis "data bank" quae integrum meum asservant electronicum archivum.

## 2. Additivae quaedam elucidationes

2.1.

Non haec sed alia postea, Deo favente, inquisitio concludenda speratur de numerandis singulis Tf occurrentibus in aliquo magno textuum naturalium corpore, ad recensendas non solum, ut hic, puras morphologicas earum possibilitates, sed etiam usus quantitates.

2.2.

Hic equidem T considerantur, ut ita dicam, theorice, seu melius iuxta meras possibilitates morphematicas, ignoratis omnibus praeclusionibus sive semanticis sive phoneticis. Quis enim umquam enumerare audeat omnes voces quae has vel illas T non patiantur ? ut v.g. quae comparativum aut superlativum excludant, ut "egenus, maritimus, totus" ?

2.3.

Flexionum binis vocibus compositarum, ut v.g. "dictum est", quae in verbis passivis aut deponentibus occurrunt, nullae binae T recensitae sunt : copulant enim T quae iam ut singulae adsunt omnes.

2.4.

Non ergo hae nostrae T repraesentant omnes exitus omnium vocum in latinis textibus inveniendarum, sed illarum solum

vocum quae flexionem patiuntur. Absunt hic enim exitus vocum sive invariabilium et indeclinabilium sive quarumcumque barbararum.

#### 2.5.

Conspicua insuper emineat distinctio attendenda inter T typicas seu communes et distinctivas suae categoriae ut "us-a-um" et "us-us" ex una parte et ex altera T quasdam peculiare quarundam vocum in aliqua flexione, sed non huius declinationis aut coniugationis specificas. Quare omnes T casus nom. sing. III decl. gradus positivi sub suo "2" typo flexivo consignatae sunt, ut ex eis quae typicis quae vero peculiaribus adiudicandae sint discernere quis valeat, attendenda quantitate uniuscuiusque repetitionum. Idem valet de T declinationis F, coniugationis N, necnon de singulis T adverbiorum quas "casus" G ubique designat.

#### 2.6.

Multis pro et contra diu excussis, servavimus tandem categoriae flexivas F et N, ut regulariter seu stabiliter irregulares, vocum quarum una saltem T a normali typica differt, ut v.g. sunt "alius, alter, solus, qui-que-quod, dico, duco, fero, nolo, sum, volo"...

Harum T etiam normales et regulares designavimus praeterquam irregulares.

Sic in declinatione F nom. "-u" m. et f. adest ratione pronominis "tu" et n. ratione vocis "genu"; voc. m. "-i" ratione pronominis "mi" et "-e" ratione vocis "sole" de "solus-a-um" adsunt.

Sed his non sunt a me accersita verba III coniugationis in "-io, -ior", ut "capio, gradior", in quibus littera "i" latitans praesensque ludit. Horum enim T cum vel in III vel in IV coniugatione iam occurrant, poterunt ad summum ea verba ut "amphybia" denuntiare...

#### 2.7.

T verborum passivorum non sunt a T deponentium distinctae, quippe quorum differentia non iam in T sed in "semantemate" constet, scil. non in morphologia sed in semantica lexicali.

Propterea T participiorum praesentis et futuri designantur in qualibet coniugatione etiam sub modo passivo/deponenti.

2.8.

T contractas pariter recensimus in qualibet coniugatione, ut v.g. "-esse" et "-evisse" in secunda.

2.9.

In T vero participiorum semper complementum infixum "-ant -ent -at -et -it" inclusum servavimus.

2.10.

Ubique T adverbialium inclusae additaeque sunt, quando "reducibiles", veluti ac si essent verus "casus adverbialis". Certo earum recensio forte magis approximata quam reliquarum T iudicanda erit.

T adverbialis "-o" assignata est tantum II declinationi in gradu positivo, numquam superlativis nullique participiali.

T adverbiales "-iter -itus" nulli participio agnitae sunt.

Nulla tandem prorsus T adverbialis assignata est participiis futuris nullaue gerundivis.

2.11.

T comparativarum et superlativarum vocum quae suum exinde mutant thema, ut "bonus", dives, parvus", nullum verum problema obtulerunt solvendum, nisi quod ex automatica scansione vox "minor" non comparativis, "proximus" autem superlativis ab automato accenserentur.

De multiplicatione T in comparativis et superlativis participiorum, praeterquam futurorum et gerundivorum, quantitates infra dabuntur. Ne eas servaremus implicitas tantum inter T comparativas et superlativas declinationum, praesentia complementi infixi suaserat, quod utiliter recensendum visum erat.

Ratione autem vocum ut "benevolus et maledicus" T "-entior" et "-entissimus" declinationibus additae sunt, identicae quidem pluribus T participiorum.

De ablativo singulari comparativi participiorum recensui etiam ubique T "-iori", praeterquam "-iore", quippe cuius documenta innumera adsint saltem in mediaevali sermone, ut v.g. "a fortiori" "a priori".

2.12.

Ex ipsa rei natura etiam nostra recensio T graecarum in declinationibus magis probabilis et approximata quam aliarum iudicabitur.

2.13.

In V declinatione genus masculinum additum est ratione vocis "meridies".

In IV declinatione T "-ubus" etiam neutro generi assignata est. In II declinatione T nom.sing. "-ur" adest ratione vocis "satur-a-um".

2.14.

Iam monui T omnium casuum multiplicatas et distinctas esse per tria genera m. f. et n. . Inde multae T graphice identicae differunt tantum sexto codice seu codice generis.

Sed in opposito adsunt etiam multae T differentes quidem in graphia sed omnes, genere incluso, identicos habentes morphologiae codices. His identicis codicibus septimum tunc additum est signum "+", informans huius flexionis plus quam unam dari T, quod scil. plures T graphice differentes hunc eundem valorem habent : v.g. "-avere JA4--9+" "-arunt JA4--9+" "averunt JA4--9+".

Si autem nulla adsit "vera" variatio, scil. si huius valoris una tantum T adsit, a signo lineolae "-" id cognoscetur.

2.15.

"Veras" variationes eas intelligo quae ipsas quidem litteras – una saltem – immutant et non solam scriptionem aut pronuntiationem ipsius.

Aliis verbis, non recensui variationes orthographicas quae dicuntur, ut sunt classica aequivalentia inter "u" et "v" aut medievalis inter "e" et "ae", "oe".

Litteram autem "i" numquam ut "j" aut ut "y" recensui.

Has huiusmodi variationes per automatam quis facile addere potest, quando hae opus sint.

2.16.

Attende T nostras esse ut identicas aut differentes accipiendas ad modum unius totius : aliis verbis unius etiam litterae variatio aut additio veram constituit graphicam diversitatem, etiamsi inde habitudo partis ad totum resultet. Nobis scil. v.g. hae simpliciter diversae T sunt : "-ua et -a", "-issimus et imus", "antibus et -ibus et -us".

2.17.

Hoc posito, eas T voco "homographas" quae graphice identicae vere sint sed unum saltem diversum praebent codicem morphologicum, licet ille tantum sit qui genus exprimit.

Ad huius homographiae dispensationem conspiciendam, seriem Tf ordinavimus iuxta incrementum numeri T : toties enim unaquaeque Tf erit homographa quot T - seu diversos codices - verificare ostenditur.

In homographia T tres gradus distingui possunt :

- a. T graphice eadem occurrit sive in saltem una declinatione sive in coniugatione.
- b. T graphice eadem occurrit et in una et in alia declinatione aut coniugatione.
- c. T graphice eadem verificat plus quam unam flexionem intra eandem declinationem aut coniugationem.

In meo Indice Thomistico (Indicum vol. X pp. 880s, intra systema homographiae) Tabula 12 "Terminationes Homographae" considerat solam homographiam "c", accipiens ad modum unius declinationes I et II. Inde apparet T univocas in declinationibus vere esse paucas.

In mea autem hic serie quae Tf recapitulat, inter Tf quae unum tantum typum et unam categoriam verificant, scil. vel unam declinationem vel unam coniugationem, illae tantum erunt usque ad "c" univocae quibus T 001 attribuitur.

### 3. Numeri et quantitates quaedam

3.1.

Ex 3924 individujs T, 96 sunt in I declinatione, 184 in II, 258 in III, 44 in IV, 25 in V (omnes regulares simul 607) 119 in irregulari (omnes declinationes 726);

In I coniugatione sunt 600, in II 800, in III 575, in IV 619 (omnes regulares simul 2594) in irregulari 604 (omnes coniugationes 3198).

3.2.

Typi flexivi 1 473 adsunt T nominales regulares.

Typi flexivi 2 134 adsunt T forte peculiaries in III declinatione.



Typi flexivi 3 119 adsunt T nominales irregularium.  
 Typi flexivi 4 542 adsunt T verbales regulares.  
 Typi flexivi 5 138 adsunt T verbales irregularium.  
 Typi flexivi 6 2518 adsunt T participialium.

### 3.3.

T comparativorum sunt 720 : harum 640 afficiunt participia. T superlativorum sunt 782, quarum 592 afficiunt participia. Si propterea T comparativae et superlativae participiorum non explicarentur, numerus totalis T minueretur 1232 unitatibus : 31,5 %.

### 3.4.

T quae nullam possibilem variationem, ut supra, forte patiuntur, quibus scil. septimus codex est lineola, sunt 2504 : et saepius quidem inter coniugationes quam inter declinationes.

Flexiones vero quarum hic explicitae adducuntur posibles variationes, sunt 543 : hae faciunt 1420 T quibus septimus codex est signum "+". Si vero consideremus non iam flexiones sed ipsas graphicas Tf, ex earum tabula finali constabit :

- 343 Tf semel occurrere : 39,8 %.
- 274 bis vel ter quater repeti : 31,8 %.
- 139 5 vel 6 vel 7 vel 8 vicibus repeti.
- 8 9 vel 10 vel 11 vicibus.
- 35 12 vicibus.
- 10 13 vel 14 vel 15.
- 11 16 vicibus.
- 10 18 vicibus.
- 19 a 21 ad 29.
- 5 vel 30 vel 36.
- 6 42 vicibus.

### 3.5.

Si abstrahamus a genere, in unaquaque declinatione sex sunt casus singulares sexque plurales; his addendi casus superlativi in I et in II atque comparativi in III; addendi etiam 12 casus in declinatione F atque 8 adverbiorum : simul ergo omnes 116.

Adiungendo 805 casus participiorum (55 act. et 106 pass. in qualibet coniugatione), quorum 45 sunt adverbia, habebuntur, omnibus inclusis, 921 casus. En qui praebeant maximum numerum T :

- 58 T habent C--1A et C--1E-.
- 21 T habet C--1D-.
- 14 T habent F--1A- et F--1E-.

11 T habet F--1D-.

10 T habent F--1C- et singuli superlativi II declinationis.

Si vero a personis in verbis abstrahamus, verborum tempora ad 24 in singulis coniugationibus reducuntur (12 act. 12 pass.) : omnia ergo simul 120.

Horum solum quaedam tempora 10 excedunt, usque ad maximum 18 T.

### 3.6.

Numeri vero litterarum quibus singulae T constant hi sunt : 6 T constant singulae 13 litteris, 27 T constant singulae 12 litteris, 60 T constant singulae 11 litteris, 255 T constant singulae 10 litteris, 277 T constant singulae 9 litteris, 328 T constant singulae 8 litteris, 391 T constant singulae 7 litteris, 532 T constant singulae 6 litteris, 674 T constant singulae 5 litteris, 599 T constant singulae 4 litteris, 290 T constant singulae 3 litteris, 363 T constant singulae 2 litteris, 122 T constant singulae 1 littera.

### 3.7.

T possent etiam non iam ut unum quid integrum singulae considerari, sed ut series characterum finalium pro lubitu separabilem. Exploravimus ergo quae in his nostris T sint singulae, binae et ternae litterae finales :

- 14 litterae sunt finales : a 376, c 22, d 9, e 423, i 444, l 5, m 616, n 10, o 255, r 230, s 1343, t 141, u 19, x 31.
- harum vero consistunt etiam individuae nullo addito : a 22, c 4, e 25, i 27, l 5, m 1, o 18, r 1, s 2, t 4, u 13.
- 69 adsunt diversi litterarum binarii finales : ia, ua, ae, ii, ui; nc, bs, ns, ps, rs, nt : reliqui vocalem consonanti copulant.
- horum qui 100 excedunt sunt : is 497, um 449, us 415, ae 191, ri 163, ma 126, ra 126.
- semel occurrunt : ac, bi, hi, ii, eo.  
bis occurrunt : nc, bo, go, bs, ps, yx.  
ter occurrunt : ua, id, od, ud, vi, on.
- horum binariorum 50 suis binis litteris, nulla alia sibi adiecta, integras etiam constituunt T.
- 135 tandem sunt diversi ternarii litterarum finalium; horum solum sequentes 100 T excedunt : rum 248, bus 197, ris 166, tis 136, mis 126, ima 126, ori 108.

#### 4. Tabula codicum seu siglorum morphologiae

in I loco	A B C D E F J K L M N	1 2 3 4 5 decl. decl. irreg. 1 2 3 4 conjug. coniug. irreg.
in II loco	<u>verborum modus act/pass (dep) :</u>	
	A/J indicativus; C/L imperativus; E/N gerundium; G/P supinum;	B/K subiunctivus; D/M participium; -/O gerundivus; H/Q infinitivus.
in III loco	<u>verborum tempus :</u>	
	1 praesens 3 futurum 5 plusquam praeteritum	2 imperfectum 4 praeteritum 6 futurum exactum
in IV loco	<u>nominum gradus :</u>	
	1 positivus 2 comparativus 3 superlativus	
in V loco	<u>nominum casus sing/plur :</u>	
	A/J nominativus; C/L dativus; E/N vocativus; G/- adverbialis.	B/K genitivus; D/M accusativus; F/O ablativus;
in VI loco	<u>genus vel numerus :</u>	
	1 masculinum 2 feminum 3 neutrum	4/7 = 1° pers. sing/plur. 5/8 = 2° pers. sing/plur. 6/9 = 3° pers. sing/plur.
in VII loco	+ huius eiusdemque flexionis adsunt variantes. - huius vero nulla variatio.	

1.- SPECIMEN TERMINATIONUM NOMINALIUM

(vide paragr. 1.5. et 4)

01	A	A--1A1+	A	M000001	R000001	1
02	AS	A--1A1+	SA	M000002	R002367	1
02	ES	A--1A1+	SE	M000003	R002443	1
01	A	A--1A2+	A	M000004	R000002	1
01	E	A--1A2+	E	M000005	R000405	1
02	AE	A--1B1-	EA	M000006	R000430	1
02	AE	A--1B2+	EA	M000007	R000431	1
02	ES	A--1B2+	SE	M000008	R002444	1
02	AE	A--1C1-	EA	M000009	R000432	1
02	AE	A--1C2-	EA	M000010	R000433	1
02	AM	A--1D1+	MA	M000011	R001267	1
02	EN	A--1D1+	NE	M000012	R001875	1
02	AM	A--1D2+	MA	M000013	R001268	1
02	EN	A--1D2+	NE	M000014	R001876	1
01	A	A--1E1+	A	M000015	R000003	1
01	E	A--1E1+	E	M000016	R000406	1
01	A	A--1E2+	A	M000017	R000004	1
01	E	A--1E2+	E	M000018	R000407	1
01	A	A--1F1+	A	M000019	R000005	1
01	E	A--1F1+	E	M000020	R000408	1
01	A	A--1F2+	A	M000021	R000006	1
01	E	A--1F2+	E	M000022	R000409	1
02	IM	A--1G+	MI	M000023	R001410	1
04	ITUS	A--1G+	SUTI	M000024	R003676	1
02	AE	A--1J1-	EA	M000025	R000434	1
02	AE	A--1J2-	EA	M000026	R000435	1
04	ARUM	A--1K1-	MURA	M000027	R001599	1
04	ARUM	A--1K2-	MURA	M000028	R001600	1
02	IS	A--1L1-	SI	M000029	R002650	1
02	IS	A--1L2-	SI	M000030	R002651	1
02	AS	A--1M1-	SA	M000031	R002368	1
02	AS	A--1M2-	SA	M000032	R002369	1
02	AE	A--1N1-	EA	M000033	R000436	1
02	AE	A--1N2-	EA	M000034	R000437	1
02	IS	A--1O1-	SI	M000035	R002652	1
02	IS	A--1O2-	SI	M000036	R002653	1
03	IMA	A--3A2+	AMI	M000037	R000086	1
04	LIMA	A--3A2+	AMIL	M000038	R000092	1
04	RIMA	A--3A2+	AMIR	M000039	R000098	1
06	ISSIMA	A--3A2+	AMISSI	M000040	R000104	1
09	ENTISSIMA	A--3A2+	AMISSITNE	M000041	R000158	1
04	IMAE	A--3B2+	EAMI	M000042	R000465	1
05	LIMAE	A--3B2+	EAMIL	M000043	R000469	1
05	RIMAE	A--3B2+	EAMIR	M000044	R000473	1
07	ISSIMAE	A--3B2+	EAMISSI	M000045	R000477	1
10	ENTISSIMAE	A--3B2+	EAMISSITNE	M000046	R000513	1
04	IMAE	A--3C2+	EAMI	M000047	R000466	1
05	LIMAE	A--3C2+	EAMIL	M000048	R000470	1
05	RIMAE	A--3C2+	EAMIR	M000049	R000474	1
07	ISSIMAE	A--3C2+	EAMISSI	M000050	R000478	1
10	ENTISSIMAE	A--3C2+	EAMISSITNE	M000051	R000514	1
04	IMAM	A--3D2+	MAMI	M000052	R001288	1
05	LIMAM	A--3D2+	MAMIL	M000053	R001289	1

2.- SPECIMEN TERMINATIONUM VERBALIUM

07	AVISSES	JB5--5+	SESSIVA	M000743	R002587	4
05	ASSET	JB5--6+	TESSA	M000744	R003715	4
07	AVISSET	JB5--6+	TESSIVA	M000745	R003721	4
07	ASSEMUS	JB5--7+	SUMESSA	M000746	R003602	4
09	AVISSEMUS	JB5--7+	SUMESSIVA	M000747	R003608	4
07	ASSETIS	JB5--8+	SITESSA	M000748	R003058	4
09	AVISSETIS	JB5--8+	SITESSIVA	M000749	R003064	4
06	ASSENT	JB5--9+	TNESSA	M000750	R003783	4
08	AVISSENT	JB5--9+	TNESSIVA	M000751	R003789	4
01	A	JC1--5-	A	M000752	R000022	4
03	ATE	JC1--8-	ETA	M000753	R000778	4
03	ATO	JC3--5-	OTA	M000754	R002106	4
03	ATO	JC3--6-	OTA	M000755	R002107	4
05	ATOTE	JC3--8-	ETOTA	M000756	R000821	4
04	ANTO	JC3--9-	OTNA	M000757	R002135	4
03	ANS	JD11A1-	SNA	M000758	R003143	6
03	ANS	JD11A2-	SNA	M000759	R003144	6
03	ANS	JD11A3-	SNA	M000760	R003145	6
05	ANTIS	JD11B1-	SITNA	M000761	R003100	6
05	ANTIS	JD11B2-	SITNA	M000762	R003101	6
05	ANTIS	JD11B3-	SITNA	M000763	R003102	6
04	ANTI	JD11C1-	ITNA	M000764	R001183	6
04	ANTI	JD11C2-	ITNA	M000765	R001184	6
04	ANTI	JD11C3-	ITNA	M000766	R001185	6
05	ANTEM	JD11D1-	METNA	M000767	R001390	6
05	ANTEM	JD11D2-	METNA	M000768	R001391	6
03	ANS	JD11D3-	SNA	M000769	R003146	6
03	ANS	JD11E1-	SNA	M000770	R003147	6
03	ANS	JD11E2-	SNA	M000771	R003148	6
03	ANS	JD11E3-	SNA	M000772	R003149	6
04	ANTE	JD11F1+	ETNA	M000773	R000790	6
04	ANTI	JD11F1+	ITNA	M000774	R001186	6
04	ANTE	JD11F2+	ETNA	M000775	R000791	6
04	ANTI	JD11F2+	ITNA	M000776	R001187	6
04	ANTE	JD11F3+	ETNA	M000777	R000792	6
04	ANTI	JD11F3+	ITNA	M000778	R001188	6
05	ANTER	JD11G--	RETNA	M000779	R002176	6
05	ANTES	JD11J1-	SETNA	M000780	R002590	6
05	ANTES	JD11J2-	SETNA	M000781	R002591	6
05	ANTIA	JD11J3-	AITNA	M000782	R000056	6
06	ANTIUM	JD11K1-	MUITNA	M000783	R001480	6
06	ANTIUM	JD11K2-	MUITNA	M000784	R001481	6
06	ANTIUM	JD11K3-	MUITNA	M000785	R001482	6
07	ANTIBUS	JD11L1-	SUBITNA	M000786	R003426	6
07	ANTIBUS	JD11L2-	SUBITNA	M000787	R003427	6
07	ANTIBUS	JD11L3-	SUBITNA	M000788	R003428	6
05	ANTES	JD11M1-	SETNA	M000789	R002592	6
05	ANTES	JD11M2-	SETNA	M000790	R002593	6
05	ANTIA	JD11M3-	AITNA	M000791	R000057	6
05	ANTES	JD11N1-	SETNA	M000792	R002594	6
05	ANTES	JD11N2-	SETNA	M000793	R002595	6
05	ANTIA	JD11N3-	AITNA	M000794	R000058	6
07	ANTIBUS	JD11O1-	SUBITNA	M000795	R003429	6

3. SPECIMEN FORMARUM TERMINATIONUM  
 seu terminationum graphice differentium  
 (specimen)

		quot	typi	in qua flexione
10	ANTIORIBUS	12	-----6	-----J----
11	IENTIORIBUS	12	-----6	-----M-
7	ANTIBUS	12	-----6	-----J----
8	IENTIBUS	12	-----6	-----M-
3	TIS	13	-----56	-----L-N
1	U	13	1-3---	---D-F-----
9	ENTISSIME	14	1----6	-B-----KL-N
8	ENTIOREM	14	1----6	--C-----KL-N
12	ENTISSIMORUM	14	1--4-6	-B-----KL-N
3	ITO	14	-----6	-----KLM-
3	ANS	14	-----6	-----J----
4	IENS	14	-----6	-----M-
2	AE	15	1-3---	A-----F-----
2	AS	15	12345-	A-C--FJ-L-N
5	TURAE	16	-----6	-----L-N
6	ITURAE	16	-----6	-----K-M-
4	TURI	16	-----6	-----L-N
5	ITURI	16	-----6	-----K-M-
2	UM	16	1-34--	-BCD-FJ-----
5	TURUM	16	-----6	-----L-N
6	ITURUM	16	-----6	-----K-M-
4	TURO	16	-----6	-----L-N
5	ITURO	16	-----6	-----K-M-
4	ITIS	16	---456	-----KLMN
2	OS	16	123---	-BC--F-----
4	ENDA	18	-----6	-----KL-N
5	ENTIA	18	-----6	-----KL-N
4	ENTE	18	-----6	-----KL-N
4	ENDI	18	-----6	-----KL-N
5	ENDUM	18	-----6	-----KL-N
6	ENTIUM	18	-----6	-----KL-N
1	O	18	12345-	-BC--FJ-L-N
5	ENDIS	18	-----6	-----KL-N
5	ENTIS	18	-----6	-----KL-N
4	IBUS	18	1-3---	---CD-F-----
7	ENTIORA	21	1----6	--C-----KL-N
7	ENTIORE	21	1----6	--C-----KL-N
8	ENTIORUM	21	1----6	--C-----KL-N
8	ENTIORIS	21	1----6	--C-----KL-N
1	A	22	1234--	ABC--FJ----
4	TURA	24	-----6	-----L-N
5	ITURA	24	-----6	-----K-M-
4	ENDO	24	-----6	-----KL-N
5	TURIS	24	-----6	-----L-N
6	ITURIS	24	-----6	-----K-M-
1	E	25	12345-	ABCDEF--KL-N
2	US	25	12-----	-BCD-----
1	I	27	1-345-	-BC--F--LMN
10	ENTISSIMAE	28	1----6	A-----KL-N
9	ENTISSIMI	28	1----6	-B-----KL-N
9	ENTISSIMO	28	1----6	-B-----KL-N
6	ENTIOR	28	1----6	--C-----KL-N
6	ENTIOUS	28	1----6	--C-----KL-N
10	ENTISSIMUM	29	1----6	-B-----KL-N
2	ES	30	12-45-	A-C-E-JKL-N
2	IS	30	12345-	LMN-F--LMN
4	ENTI	36	-----6	-----KL-N
5	ENTES	36	-----6	-----KL-N
7	ENTIBUS	36	-----6	-----KL-N
9	ENTISSIMA	42	1----6	AB-----KL-N
7	ENTIORI	42	1----6	--C-----KL-N
8	ENTIORES	42	1----6	--C-----KL-N
10	ENTISSIMIS	42	1----6	AB-----KL-N
3	ENS	42	-----6	-----KL-N
10	ENTIORIBUS	42	1----6	--C-----KL-N